

CLARISS. VIRO, D. CHRISTOPHORO
Herdesiano, Illustris Norimbergensis Rei-
publ. à consiliis, Carmen

Ἐργα μὴ κτηνόν.

S Y L V A IX.

ERgo pium rursus repetito vulnere pectus
Saucius, indulges iusto, Herdesiane, dolori,
Amiffa duplici nunc orbis coniuge coniux:
Nec tibi se socium in lacrymas adiunget amicus?
Immò terrarum longum licet interuallum,
Et montes fluuioq; vetent nos corpore iungi,
Absit ut, absentis veluti contemptor amici,
Nox lacrymis lacrymas, non planctus planctibus
addam.

Hoc etenim prescribit amor, pietasq; requirit,
Aduersa ut pariter, pariter communia ducant
Prospera, sinceri quos vinculum iunxit amoris.
Nec vanum hoc etiam fertur solamen habere.
Partiri quicumq; curas & gaudia possis.

Ergo pias tecum iuuat instaurare querelas,
Et priscos damnare sophos, qui saxca nobis,
Atq; omnis motus expertia pectora fingunt.
Quippe tua, quanuis nullo mihi tempore visa,
Coniugis assiduè sese mihi sistit imago:
Cernere quam videor, media inter gaudia fausti
Lata puerperij, mutata sorte, repente